



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 2. Vtrùm Regulares satisfaciunt præcepto recitandi Horas
Canonicas, si mentaliter tantum recitent?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

beneficium restituendos, si impleri fuerint alia onera, &c. Hæc Baronius, & verè quidem excerpta; sed non ex Petro de Soto, quem refert Amadæus, sed ex Dominico de Soto lib. 10. de iustit. quæst. 5. art. 6. Dominicus enim fuit, qui libros de iustitia in quæstiones, & articulos digessit, Petrus verò in tractatus, & electiones (Qui in hac de qua agitur, cautè legendus: est enim novissimè, ut scandalosa damnata, & prohibita ab Alex. VII. die 24. Sept. anno 1665.) Quartum, nam cum Amadæus purum relatorem agens, duas traduxisset opiniones, aliam concedentem Beneficiario studii litterarum vacanti Officium Divinum suo nomine recitandum alteri committere. (Quæ iure etiam postea damnata fuit ab Alex. VII. ubi supra) Aliam, quæ oculis caligantem, ita ut legere nequeat, exsolvit ab onere: harum opinionum autorem, eo quod refert, illum fingit. Et quod omnem admirationem superat, post tot calumnias, quales de tot in una quæstione triumphis reportatis, sibi plaudens, fol. 204. concludit: *Sed nullus hic finis est falsitatis.* O Baron! rectè iudicasti, sed Amadæi causam egisti. Ex ore tuo re iudico. Plures omitto, aliquid enim viro maioribus distracto condonandum. Hoc spicilegium, in uno ejus paragrafo feci, ut candidus lector inde colligat, quàm copiosam in aliis segetem messoribus reliquam.

QVÆSTIO II.

Virum Regulares satisfaciant præcepto recitandi Horas Canonicas, si mentaliter tantum recitent?

1. Sententia affirmativa plures habet patronos: Quia ex privilegio Leonis X. id competere Regularibus, est apud doctissimos sanctum, M. Ludovicus Lopez. 2. part. inst. cap. 102. §. Tercio advertendum. Si mentaliter dicant, cum soli recitant, prædicti Religiosi satisfaciunt, cum prolatio exterior sit, ut ab aliis intelligatur. Ubi supra, verb. Offic. Divinum concessio. 9. in dict. compend. privilegiorum. * Sic ille, quem sequitur Mag. Joann. de la Cruz in Epitom. lib. 2. cap. 8. dub. 2. ibi: * Prima conclusio: Religiosi possunt mentaliter, aut legendo intra se per librum recitare horas, & alia, quæ in officio Divino, utpotè in communitate celebrato, & in Missa, præcipiuntur dici secreto, sub silentio. Ita concessit Minoribus Leo X. inter viva oracula, num. 12. ut testatur Cardinalis Quatuor coronatorum. * Hujus privilegii verba adducit Manuel Rodriguez tom. 1. quæst. Regul. quæst. 42. art. 4. dicens cum Navarro de orat. cap. 29. num. 88. dictum privilegium ibi contineri, quatenus dicitur: sufficere, dicere mentaliter absque ulla voce secreta, vel publica.

2. Idem tradunt Fr. Sanctiorius à Mellis in comment. in consil. Minor. stat. 2. dub. 7. ibi: * Cum soli recitamus, possumus totum officium mentaliter dicere, cum prolatio verbalis, ut idem Pontifex dicit, sit præcipue, ut ab aliis intelligatur. * Thom. Hurtado tom. 1. variar. resol. Mor. tract. 3. cap. 1. resol. 9. ibi: * Hoc privilegium referunt, & approbant Emanuel Rodriguez ubi supra art. 4. Villabos in Sum. tom. 1. tract. 24. diff. 10. num. 11. Miranda in Mannali, quæst. 37. art. 17. dicens hoc esse amplissimum privilegium valde conducens pro scrupulosis fratribus. * Ex quibus, num. 43. concludit. * Igitur sententia Sanctiorii in comment. in consil. Minor. stat. 2. dub. 3. quàm præter

Pars II.

citatos, tenet Navarrus de orat. cap. 19. num. 88. Quod regulares satisfaciant pensui officii Divini, ex vi hujus privilegii, probabile est, & in praxi securum, (quidquid dicant Cyprianus Capuccinus, & Lezana) non enim hoc privilegium revocatum est à Gregorio XV. & Urbano VIII. quia per Bullam confirmatum est à Pio V. sicut & cætera omnia viva vocis oracula ante ipsum concessa. * Hæc Hurtado.

3. Hanc sententiam esse probabilem multis suadere conatur perdoctus Fr. Ludovicus à Conceptione in Exam. Verit. tract. 2. de Res. cas. 6. num. 2. fol. 133. * Licet per librum, inquit, visu non discurreret, sed memoriter tantum, & mentaliter, existimo adhuc implere præceptum de recitando officio. * Quod probat, quia non videtur, posse dubitari de tali privilegio. * Nec obstat, quod per Pontifices Gregor. XV. & Urbanum VIII. fuerint revocata viva vocis oracula, quia ante Gregorium XV. confirmata fuerunt privilegia viva vocis oraculo concessa, & hoc in scriptis, per quem modum confirmandi, desierunt esse viva vocis oracula, & in speciales, scriptasque concessiones transierunt. * Sic ille.

4. Idè ut probabiliorè amplectitur ex eadem familia Rever. P. Fr. Leander à Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 13. quæst. 19. ubi sic. * An saltem Regulares possint ex particulari privilegio privatim totum officium divinum recitare mentaliter? Negativè respondent Lezana, & Cyprianus Capuccinus, &c. Sed probabilius respondeo, posse Regulares, quando in particulari soli recitant, totum officium mentaliter recitare, & sic satisfacere suæ obligationi. Ratio est, quia hoc privilegium de facto fuit concessum à Leone X. viva vocis oraculo, ut docent etiam Lezana, & Cyprianus, & alii Doctores contrariæ sententiæ, & non est revocatum, &c. Quia dictum privilegium confirmatum est per Bullam Pii V. sicut & cætera omnia viva vocis oracula ante ipsum concessa. Ergo comprehendit nequit revocatione viva vocis oraculorum. Sic Sanctiorius, cujus opinionem amplectuntur Rodriguez, Miranda, & Villalobos citati. * Sic ibi, & iterum tom. 6. in Decalog. tract. 8. disp. 4. quæst. 45. subnectens. * Quibus nunc addo Alcanium Tamburinum de jure Abbatum disput. 10. quæst. 9. & Thomam Tamburinum de Societate Jesu, quem refert Diana pro hac parte p. 10. tract. 11. resol. 1. & Petricum de Horis Canonicis cap. 2. dub. 4. * Hæc Leander.

5. His accedunt plures doctissimi, quos refert Diana p. 9. tract. 7. resol. 61. & p. 10. tract. 14. resol. 24. & p. 11. tract. 6. resol. 45. asserentes, in revocatione oraculorum facta à Gregor. XV. anno 1622. & ab Urbano VIII. anno 1631. non comprehendi illa, quæ ante hos Pontifices fuerant confirmata per Gregorium XII. & Paulum V. utpotè qui per Bullas speciales omnia privilegia Minorum confirmant, & innovant. Quod in terminis tenent Leander à Murcia Capuccinus, Franciscus de Lugo, Marcus Vidal, Pellizarius, Possentius, Stracius, Martinus de S. Joseph, & Joannes de Soria, & putat probabile Lezana in Quæst. Regul. cap. 3. n. 21. Qui proinde nequibit negare, probabile esse, præfatum Leonis X. viva vocis oraculum non esse modo revocatum, sed in suo robore permanere, atque adeo omnes Regulares, qui privilegiis Minorum communicant, posse prædicto privilegio recitandi mentaliter privatim uti. Quod quidem habetur in supplem. fol. 59. concess. 170. & refertur in Compendio verbo, Officium divinum §. 9. Adverte tamen Jesuitas eo uti non posse de facto: quia à Rev. P. Generali non est nobis communicatū, prout

T 2

prout

prout in nostra Religione necessarium est, ut subditi privilegio isto, sicut & quovis alio frui possimus. Unde colliges, Tamburinum non in sodalium, sed in aliorum levamen, huic sententiae subscripsisse. *Sic vos non vobis, misistis apes.*

6. Ceterum Doctores alii, ut Jesuitis etiam melificent, addunt, omnes Clericos de jure communi satisfacere, si Horas Canonicas mentaliter tantum recitent, & sic declaratum esse (inquiunt) à Leone X. vivæ vocis oraculo nunquam revocato. Ita videntur sentire Sanctus à Melfi ubi supra *statuto 2. dub. 3.* Ubi citato Peyrino ait: * Non esse revocata oracula, quæ continent meras declarationes, & explanationes eorum, quæ prius concessa erant, vel in jure communi continentur, & c. sed privilegium, inquit, recitandi mentaliter est declaratio juris communis *cap. dolentes de celebrat. Missar.* Ut probabiliter defendi posse, ait Navarrus, & c. Quia verba videntur requiri principaliter, quo alii audiantur. Quam explanationem à verbis concessionis accepisse videtur; reddens enim rationem Pontifex ait: *Cum probatio verbalis sit præcisæ, ut ab aliis intelligatur.* Ergo. Quid enim necesse est, ut se audiat, qui solus recitat? * Sic Sanctus.

7. Idem sentire debet Thom. Hurtado ubi supra *tract. 3. cap. 1. resolut. 9. num. 43.* dum ait: * Hoc vivæ vocis oraculum est declaratio juris communis *cap. dolentes de celebrat. Missar.* Et vivæ vocis oracula declarativa juris communis, aut alicujus Bullæ, non sunt derogata. * Cui consentit Leander à Sacram. ubi supra *tom. 2. tract. 6. disp. 13. quest. 19.* alios referens, ibi: * Ut ipse Lezana concedit *tom. 1. cap. 3. num. 21.* hujusmodi vivæ vocis oraculum est declaratio juris communis *cap. dolentes de celebrat. Missar.* At vivæ vocis oracula declarativa juris communis non sunt derogata. *

8. Ex quibus videtur inferri, (juxta hos Auctores) omnes Clericos de jure communi, ut à Leone X. explicato, suæ obligationi satisfacere, si mentaliter tantum recitent. Quod citato Sancto à Melfi ubi supra, ex illius verbis deducit Fr. Ludovicus à Coceptione in *Examin. Veritat. tract. 2. de Redit. casu 6. fol. 134.* dicens: * Secundum istum auctorem, non solum per privilegium, quo Regulares fruuntur, sed etiam absque ullo, poterunt omnes ad recitandum officium obligati, illud mentaliter recitare. * Quod secundum omnes citatos, si consequenter loquantur, dicendum videtur. Et hoc ipsemet Ludovicus initio resolutionis expressè dixit: * Fundamento probabilis non carere. * Imo plane tuetur, ut constat ex fundamentis, quibus id suadet à num. 10. ubi ait: * Sed dices, ergo qui Pontificum privilegiis talibus non gaudent, non poterunt mentaliter recitare, quod est contra superius dicta. Sed ad hoc dico multa, & c. * Et num. 11. explicat omnia jura, & decreta, quibus officium divinum voce distincta, clara, devotaque recitari præcipitur, dicens solum habere locum, quando in Choro, vel cum sociis recitatur, & ad argumenta in contrarium respondet.

9. Hoc ipsum ante illum, probabile putavit Navarrus de *orat. cap. 19. num. 88.* & non dissentit Thomas Hurtado illum referens ubi supra *num. 45.* ibi: * Navarrus nu. 88. §. Sextum est, dixit, posse sustineri, quod etiam jure communi, quis satisfacit, dicendo officium mentaliter, & sic quantum ad hoc non sit privilegium, tamen verius judicat, quod contineat privilegium dispensatorium, quod quis mentaliter possit dicere officium per se solus. * Sic ex Navarro, Thom. Hurtado, cujus sententiam probabilem eti-

am putat Leander à Sacram. ubi supra, quia refert Patrem Sanchez *tom. 2. consil. lib. 7. cap. 2. dub. 3. de ill.* se: * Opinionem Navarrus non esse probabilem. Subnequit: * Sed hoc durum mihi videtur, (quod iterum repetit *tom. 6. in Decalog. tract. 3. disp. 4. contra Suarez, & M. Prado*) & illam esse probabilem, aperte insinuat Thomas Hurtado mox citandus. * Et talem reputat Brunus Castang de *Trinitat. gul. p. 2. tract. 8. cap. 4. prop. 3.* ubi sic: * Quamvis hoc privilegium magnum sit, potest tamen aliquando dici non esse privilegium, sed juris communis applicationem. Ratio est, quia præceptum de recitando officio, est tantum de illo dicendo, sed ille, qui recitat, verè dicit officium; verba enim mentalia sunt verba verissima; alioquin filius Dei non esset verbum Dei. Et certè S. Thomas videtur equalem esse sententiam, cum 2.2. *quest. 88. art. 11. ait:* Quod vocalis oratio non est necessaria, nisi quando illa debet innotescere toti populo; constat autem Horas penitus non debere sic innotescere, & c. Quod contra probabile est, quod aliqui putant, quos refert Emanuel Sa verb. *Horas §. 11.* illum, qui sic dicit officium ob majorem devotionem, excusari à tali peccato. Illud autem venialiter peccat: Lectioni docto prædicandum relinquo. * Hactenus Castang.

10. Sed potuisset etiam ipse sententiam ferre, quia si Leo X. ut putant auctores citati, explicavit vivæ vocis oraculo, de jure communi non esse præceptum recitandi voce, sed solum recitandum voce mentali recitatione satisfactum, non est cui ab omni culpa immunis non sit, qui hoc modo recitaret, nec faterentur, illa carere Religio, cui ex privilegio recitare conceditur.

§. Unicus.

Auctoris judicium.

11. IN hac controversia difficile semper multabit componere præceptum recitandi, quod actum externum necessarii refertur, absque obligatione ulla talem actum externum exercendi. Propterea, admissio privilegio, rectè stare, Pontificem dispensare cum eo, qui mentaliter officium divinum recitaverit, ut præcepto ulterius non teneatur ad vocalem, aut externam recitationem. Hoc autem dispensa nihil aliud est, quam dispensare in præcepto recitandi in *cap. Dolentes* contento, liberum relinquendo Religiosis modum recitandi vocaliter, vel tantum mentaliter. Quaratione optime explicatur privilegium pro Regularibus à Leone X. concessum. Secluso autem privilegio (quod absque ulla fundamenti diceretur Clericis secularibus concessum) non video, cui principio niti possint Doctores assensum, præceptum recitandi in jure contentum capax esse illius declarationis, quam à Leone X. adhibitam supponunt, cum prius repugnet, aut præceptum Ecclesiasticum circa actus prædictos, seu quod absque ullo actu externo adimpleri possit, ut tradunt communiter Theologi. Quapropter, ut Doctoribus citatis morem geram, etiam dum puto, vivæ vocis oraculum Leonis X. continere privilegium, quatenus recitationem prædictam Fratribus Minoribus, (& Religionibus reliquis consequenter) concedit, & solum admittere potest applicationem juris communis in *cap. Dolentes*, quatenus declarat Pontifex, satisfacere præcepto, qui solus recitat mentaliter, librum vero oculis suis. *Religiosis*

tionemque reddit, * cum prolatio verbalis sit præcipue, ut ab aliis intelligatur, *

12. Hancigitur declarationem admittere posse cap. Dolentes supra citatum, existimo valde probabile, tum propter auctoritatem Doctorum, qui de illa testantur, tum quia ejusmodi recitatio est vera lectio, & actio externa sensibilis, in quacumque ratio legis locum habere potest, ut loquentes de lectione librorum hæreticorum, sub excommunicatione prohibita, docent Vgolinus, Grassis, Fagundez, Trullench, Bonaccia, Rocafal, Duardus, & alii, quos citatos sequitur Leander à Sacramento tom. 4. tract. 3. disp. 1. §. 5. quæst. 54. Et P. Thomas Sanchez lib. 2. Sum. cap. 1. dicens: * Quia vera lectio nullatenus verborum eget prolatione arg. l. 2. §. Inspecio, ff. quemadmodum testam. aperiantur. * Et ante illum Suarez de Fide, disp. 20. sect. 2. num. 18. * Sufficit, inquit, legere, oculis percurrendo librum, etiam si ore nil proferatur, quia illud revera est legere, & etiam actio sensibilis, in qua tota ratio legis locum habet. * Sic Suarez de lectione librorum hæreticorum; in ejus doctrina continetur ratio conclusionis, nimirum, cap. Dolentes supra citatum, hujus explicationis Pontificie capax esse.

13. Sed an Pontifex eam de facto dederit? Hoc opus. Concedunt Doctores supra citati, ego verò nunquam concedam. Quia Leo X. dum oraculum edidit, non curavit de explicatione prædicti cap. Dolentes, sed de privilegio dispensativo Minoribus concedendo. Cujus hic tenor est apud Mirandam supra art. 17. * Leo X. (ut habetur in supplement. fol. 59. concess. 70.) concessit, ut ne Fratres Minores mutuo se impediant in divino Officio, aut aliis sint fastidiosi, quod illa, que in ordinario jubentur dici secreto sub silentio, tam in Horis Canonicis, quam etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant, dicendo mentaliter, aut legendo intra se per librum, quia aliqui devotius sic dicunt, & absque impedimento, & fastidio auriunt. Et quod eodem modo possit facere, qui solus dicit officium per se, cum prolatio verbalis sit præcipue, ut ab aliis intelligatur. Hæc Leo X. ubi supra. In quibus privilegium Minoribus expressè concedit, ut non teneantur proferre vocaliter. Ubi planè supponit, ad id lectulo privilegio, teneri. Hujus privilegii motivum duplex fuit, aliud, majoris devotionis ipsius recitantis, minorisque fastidii aliorum; aliud, quia prolationis verbalis præcipuus finis est, ut ab aliis intelligatur, idèque quando ab aliis intelligendus non est, minor causa ad dispensationem præcepti recitandi vocaliter necessaria sit. Hæc est genuina explicatio hujus privilegii, in quo non explicationem juris communis, de qua non curavit Pontifex, sed solius privilegii dispensativi concessio continetur. Et ideo, qui verba non proferat, præcepto satisfacere non poterit, nisi Religiosus, juxta superius dicta. Et sic declaratum est in Concilio Basiliensi, sess. 21. §. 2. Quapropter P. Sà verb. Hora Canon. num. 11. jure dixit, cunctaria aliorum, quos suppressio nomine refert, opinionem non esse tutam. Et P. Suarez de Horis Canonicis. Sanchez in opus. lib. 7. cap. 2. dub. 8. num. 4. & Baldellus in Theol. Morali tom. 1. lib. 3. disp. 35. num. 16. inquirunt, esse practicè in probabilem & constare apperè ex Concilio Basiliensi. Ubi dicitur: quod si soli, sive associati recitent divinum, nocturnumque officium; reverenter, verbisq; distinctis, debent peragere. Quibus evellitur solutio quorundam qui jura & decreta Canonica vocalem recitationem exigentia exposerunt pro Choro, vel quando, cum solus, secus aliter.

Part II,

14. Quid autem necessarium sit, ut quis verè dicatur verba proferre? Non conveniunt Doctores. Plures enim existimant, ad prolationem requiri, quod quis seipsum audiat. Sed non assentior, quia auditio est effectus prolationis, non ejusdemque, sed prolationis cum sonitu, qui juxta majorem, vel minorem ejus intensiorem, ad majorem, vel minorem distantiam, aliis non impediens, percipitur. Sicut ergo stare potest vera prolatio, quia ab aliis, etiam parum distantibus, percipitur, ita & quin ab ipso proferente: quia prolatio consistit in sola motione lingue, & labiorum, quorum motu respiratio frangitur, & vox proinde, licet summissa valde, necessariò efformatur, quod sufficit, ut quis dicatur vocaliter, & non solumente, aut y su discurrendo, recitare, Sicut cum Azor. p. lib. 10. cap. 11. quæst. 4. tradunt Diana 2. p. tract. 11. resol. 11. Vericelli tom. 1. tract. 5. quæst. 6. num. 122. & Caram. in Regul. Sancti Bened. disp. 108. num. 1381. Sic etiam Trullench, Bonaccia, Martinus de S. Joseph, Baldellus, Bassius, Ludovicus à Conceptione, Leander à Murcia, & alii, quos sequitur doctissimus Leander à Sacram. tom. 2. de Sacram. tract. 6. disp. 13. quæst. 18. & tom. 6. in Decalog. tract. 8. disp. 4. quæst. 47. Quibus libens adhæreo, tum quia favorabilior scrupulosis, tum quia inter duas extremas media scilicet, inter nuper rejectam de mentali recitatione, & aliam, talem prolationem requirentem, ut recitans, statim à se ipso audiri possit.

QVÆSTIO III.

Utrum mutatio officii Divini in aliud brevius, verb. grat. si loco officii de Feria, dicatur de Sacramento, vel de Beata Virgine, vel de Sancto, sit peccatum mortale? Vbi quid de officio Resurrectionis?

1. PRIMA opinio negat præfatam officii mutationem esse peccatum lethale. Hanc defendit Eminentiss. Cajetanus in Sum. verb. Hora cap. 2. ubi sic: * Non est propterea reus peccati mortalis commutans qualitatem Horarum: puta solvens de Sanctis, quas deberet solvere de Feria: & similiter solvens juxta ritum Romanæ Ecclesiæ, qui deberet solvere juxta Monachalem, &c. Et horum, & similitum ratio est, quia substantia præcepti consistit in hoc, quod Canonice Horæ dicantur, & non in qualitate, aut ordine. * Idem tradit Sylvester M. Sacri Palatii in Sum. verb. Hora, num. 15. ubi: * Duodecimo quaeritur: Quid juris de his, qui officium mutant? &c. Qui ad libitum suum mutant officium consuetum, secundum Summam Angel. peccat mortaliter, &c. Sed melius dico secundum Zab. post Lau. in Cle. 1. de celebrat. Missar. quod dicere hoc officium, vel illud non est in præcepto, cum diversi diversa dicant &c. Si verò fiat in fraudem, ut dicatur brevius, secundum Arch. non est absque gravi culpa, non tamen intelligas, quod sit mortale, quia determinatum officium non est in præcepto. * Quibus consentit M. Dominicus Baltanas in Margarita confessor. in edit. Hispanensi, anno 1526 fol. 123. ibi: * Secundum aliquos peccatur mortaliter, quando officium Divinum non dicitur secundum quod est in ordinario: sed

T 3

hoc